DISPUT

INA

ASCITE A

ANNUENTI

EX AUCTORITATE

D. GEORGI

ACADEMIÆ EDI

AMPLISSIMI SENAT

NOBILISSIMÆ FACU

Pro Gr

SUMMISQUE IN MEDICI

RITE ET LEG

ERUDITO

EDVARDUS BE

KALENDIS AUGUSTI

EDI

EXCUDE

MD

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ASCITE ABDOMINALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS BEVERSHAM HARMAN,

Hibernus.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

AMICO SUO SPECTATISSIMO,

EMANUELI HUTCHINS, ARMIGERO,

HANC DISPUTATIONEM,

SUMMA REVERENTIA

INSCRIBIT

AUCTOR.

James Woodforde
with the Author's best
regards

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASCITE ABDOMINALI.

EDVARDO BEVERSHAM HARMAN Auctore.

QUANDO mihi quidem, animum variis morborum generibus quibus homines vexantur advertenti, vix ullum (sive ad innumeras fere causas unde oriatur, sive ad lethales quos edat effectus, respicimus), quam 'dirus ille Hydrops' majoris esse momenti videatur: hanc idcirco valetudinem, Asciten nempe Abdominalem, paginis sequentibus tractare decrevi.

Cavum abdominis undique membrana serosa tegitur, quæ, superficiem intimam halitu, conti-

nuo lubricat: hac secretione, ex aliqua causa, aucta vel absorptione ejus imminuta, quoniam externam viam ad exitum non aperit natura, humor necessario colligitur, et morbus denominatur Ascites Abdominalis, quo nullus fere sævior aut periculosior. CULLENUS, in Nosologia, Asciten in duas species dividit, nempe, Abdominalem et Saccatum. Hic mihi sat erit disserere de illa, quæ verbis sequentibus definitur: 'Tumor totius abdominis æqualis, cum fluctuatione satis evidente.'

HISTORIA MORBI.

Ascites morbus est, qui lente et gradatim serpit: fere negligitur, vel omnino non percipitur, donec tantas vires acquirat, ut efficacissimis remediis plerumque pertinaciter obstat. Non tam idiopathicus est morbus, quam symptomaticus; alios comitatur, alios insequitur; sic scarlatinam, febres intermittentes, dysenteriam, diarrhœam protractam, scorbutum, scrophulam, hepatitidem, icterum, &c., et præcipue, secundum clarum PRINGLE, in febres intermittentes relapsuum, excipit; quamvis, interdum nulla alia specie hy-

dropis conjungitur, tamen sæpius diatheseos universalis pars constat, et frequenter cum anasarca et hydrothorace sociatur. Initio morbi, pedes cruraque intumescunt, sæpe in decursu; et aliquando per totum abdomen distensio extenditur, sed frequentius tumor in hypogastrio primum apparet, ac paulatim ingravescit, donec totum æque tumidum ac tensum fit; tussis sicca, et dyspnœa, non raro sub initium, sæpe sub finem, sese ostendunt, præsertim post cibum sumptum, sed maxime dum æger capite minus elevato decumbit; cum insomnia et sensus suffocationis excitantur; pro corporis situ plus minus molestiæ sentitur; nam ponderis sensus maxime percipitur latere in quod decumbit æger, et in adverso distentio imminuitur. Dum hæc ita se habent, si medicus abdomen pulsat altera manu, in omnibus fere Ascitis exemplis, aquæ fluctuationem facile percipit, eandem quoque æger sentit, positione in lecto mutata. Plerumque vultus tumidus est, et summa superficies corporis colorem pallidum et subviridem ostendit; cutis per totum morbi decursum arida fit, et difficillime sudor elicitur. Corpus pro auctu tumoris emacrescit, sitis etiam insedabilis ægrum vexat; urina ex initio parva

admodum quantitate redditur, crassior fit et ruber, atque simul ac resedit sedimentum lateritium deponit. In hoc morbo viscerum chylopoieticorum functiones plurimum turbantur; unde oriuntur varia symptomata dyspeptica; cibi fastidium et nausea ægrotum occupant; æger cruciatur cum magna ventriculi et intestinorum inflatione; distensio in superiore parte abdominis sæpe tympanitica, dum inferiori, fluctuosa, adest. Alvus per totum morbi fere cursum pertinaciter adstringitur, nonnunquam vero diarrhœa diu perstat; ictus arteriarum variabiles sunt, pro causa et longinquitate morbi; aliquando magis frequentes et debiles, aliquando etiam pleni et duri, fiunt.

In provecto morbi stadio, dolores sæpe lancinantes, miserum ægrum cruciant; ad somnum proclivis est, brevis tamen est, et potius fatigat quam reficit; tumor abdominis maxime tensum fit; pallorem œdematosum induit vultus, vis musculosa admodum deficit; tussis, et alia signa mala acerrime instarint: tandem, quandoque febris hectica cum diarrhœa vitæ finem imponit; frequenter deliquium animi, vel delirium, coma, convulsiones, supervenientia (dum tumor hydropicus imminui-

tur) subito et cito ægrum morte rapiunt; in quibusdam exemplis miser repente ex somno excitatus animam efflat.

Diagnosis.

Cum humor in abdomine contentus fluidus est, et magna copia colligitur, digitis more antea dicto admotis, fluctuatio facile percipitur, et igitur vix morbi natura latere potest; sed cum parva quantitate, vel spissior adest humor, vel si aliis morbis conjungitur Ascites, obscurior fit sensus. Etiamsi plerisque exemplis haud nequaquam difficile est hunc morbum distinguere, tamen subinde dijudicationem difficultatibus premi confitendum est; et hic, supervacuum non erit pauca dicere de morbis qui, ut mihi videtur, medicum in errorem inducant.

Ascites a Tympanite dignoscendus est signis sequentibus. In Tympanite abdomen percussum, tympani sonum edit, nulla fluctuatio plerumque percipitur, et si adsit ulla, multo obscurior est quam in Ascite, et pressuræ non cedunt integumenta. Respiratio æque difficilis est in omni cor-

poris situ; abdomen, antrorsum, minus tumet, quam ad latera, nec tantum ponderis habet tumor, quantum ex magnitudine conjicere liceret. Æger cum flatu in Tympanite vexatur, et is emissus, multum levaminis præbet. Præterea, distentionis sensus adest, quod minus in Ascite accidit. Graviditatem, absentia fluctuationis, menstrua suppressa, nausea quæ primos menses graviditatis comitari solent, mammæ distentæ, papillarum areola livida, et motus fœtus circa mensem quintam, facile ab Ascite dignoscunt. Sed quum in saccis præter naturam formatis humor continetur, difficilior fit distinctio; tamen plerumque rebus sequentibus dignoscere possumus. In specie saccata tumor in una parte abdominis potius quam altera sese ostendit, initio præsertim; corpus non multum emaciatur; menstrua in fœminis fluere perstant; fluctuatio magis obscura est; œdema pedum et artuum inferiorum raro occurruut; sitis minus urget; cibi desiderium non tam imminuitur; progressus tumoris morbique tardior, et raro, subita morte ægrum tollit.

Physconia vix confundi potest cum Ascite. Cognoscitur organorum affectorum situ, et figura tumoris, mole gradatim aucta, etiam absentia

soni et fluctuationis, abdomine percusso. Abscessus magni splenis cum hoc morbo confusi esse narrantur, et quoque hepatis, cujus exemplum bonum ipsemet vidi, quod paracentesi apertum erat.

Prognosis.

Quum Ascites tam lethalis est morbus, et tam variis causis pendet, quæ sæpe obscuræ sunt, et quia, cum æger convalescere videtur, morte subitanea quandoque corripitur, hæc perpendere et cautissime præsagire omnino necesse est. Interdum vero res feliciter evadit, et æger ad sanitatem provenit. Hoc nobis sperare liceat, si cum organicis viscerum læsionibus, non conjungitur; si non diu perstiterit; si vires non multum infringantur, et æger junior sit; si abdomen non maxime humore distendatur; et dyspnœa, tussis, febrisque non multum vexant; et præsertim, si urina naturalis fiat, et copia augeatur: e contrario, si æger ætatem provectam attigerit; si habitus intemperantia fractus sit, organicæ affectiones cordis, pulmonum, hepatis, vel aliorum viscerum adsint; sitis multa, febris, tussis, aliaque

signa mala urgeant; et si morbus remediis idoneis non cedat, et dolores lancinantes crucient; æger in periculo adest, et spes sanitatis prorsum evanescit.

Casus tamen narrantur, qui natura sanati fuerant, et quod peculiare est, sine evidente causa, secretionibus parum auctis manifeste; aliis, vomitus spontaneus morbum sustulit; aliis, humor sibi viam aperiit qua effunderetur, et nunquam sese iterum ostendit.

De Causis.

Omnia quæ tonum ac vigorem corporis imminuunt, homines huic morbo procliviores reddere videntur; inter quæ, recensere liceat sanguinis evacuationes immodicas, aliasque, sive sint naturales sive artefactæ; diætam parcam, vel minus nutrientem; morbos antecedentes; vasorum chylopoieticorum functiones depravatas, propter quas corpus ægri nutrimentum accipit; cœlum frigidum humidum, et animi effectus deprimentes, etiam morbo prædisponunt; senes magis ei objiciuntur quam juvenes, magis etiam fœminæ (ut

ait celeberrimus SYDENHAM) ; vita sedentaria, circulationis et cibi assimulationis vigori obsistendo, hydropem gignere potest. Usus immodicus liquorum inebriantium, causa frequentissima esse refertur : hic, totum genus nervosum afficit, ventriculo maxime obnoxius est, et haud raro viscerum obstructiones inducit, præcipue hepatis, ut scirrhus, et cætera. Aqua frigida largiter et subito in ventriculo recepta, vel frigus ad superficiem corporis oblatum, exercitatione immodica excitati, morbum provocare dicuntur : oriri potest etiam ex obstructionibus reditui sanguinis. Quodcunque secretionem peritonæi adauget, vel absorptionem impedit, vel amborum conjunctio, pro causa hujus morbi jure habetur. Sic obstructiones reditûs sanguinis venosi necessario faciunt ut accumulatio in arteriis sit, nam venæ distentæ sanguinem ab arteriis accipere non possunt ; hinc copiose effunditur, forma secretionis, per membranam serosam. Hujusmodi sunt quædam vitia cordis et vasorum magnorum, ut ossificatio valvularum et tunicarum, Aneurismata eodem principio, nocent indurationes hepatis, splenis, aliorumve viscerum, uterus gravidus, plethora venarum universalis, et

tumores eas prementes, pulmones etiam adeo impeditæ, ut sanguis facile permeare nequit.

Causis antea memoratis addi possunt, evacuationes solitæ suppressæ, ut catamenia, fluxus hæmorrhoidalis, et cætera, ruptura duetus thoracici, et obstructiones lymphaticorum, eorumve glandulorum; sed omnium, fortasse frequentissima videtur, inflammatio visceris alicujus aut membranarum: hinc forsan symptomata febrilia quæ sæpe comitantur. Eandem frequentissimam causam, etiam docent scripta Doctorum BLACKALL, CRAMPTON, multorumque aliorum, sed longe ante cæteros, hanc opinionem sustinet RUSH, sequentibus verbis utens:—'Nineteen dropsies out of twenty 'appear to be original arterial diseases; and the 'water, which has been supposed to be the cause 'of the dropsy, is as much the effect of preter-'natural and morbid action in the bloodvessels, 'as pus, gangrene, and scirrhus, are of previous 'inflammation.' Videmus quoque effusionem in aliis partibus post inflammationem, sic post inflammationem pulmonum, hydrothoracem, post eam testis, hydrocelen, et æque ac cæteris, igitur, post peritonitidem invenitur Ascites.

Sectio Cadaveris.

Inspectis eorum cadaveribus qui ex hoc morbo mortui sunt, humor in abdomine variis quantitatibus effunditur, in quibusdam non plus quam libræ sex vel octo, aliis centum, vel amplius ; variat etiam colore, et spissitate. Visceribus sanis plerumque sero sanguinis maxime refert ; interdum lacteus vel oleosus, aliis cum sanguine aut pure mistus, conspicitur.

Abdominis viscera plerumque statum male sanum exhibent. Jecur, in iis præcipue, qui dum vita superstitit, usui immodico spirituum meraciorum dediti fuerant, vel epulis lautis, grandius, interdum vero minus solito, tuberculatum, aut partibus vicinis adhærescens reperitur. Splen, quoque glandulæ mesentericæ et pancreas mole aucta vel indurata videntur ; vesicula fellis aliquando ampliatur concretionibus inclusis.

Haud raro inflammationis signa apparent in peritonæo pulposam, opacam, vel vasis rubris confectam, sese ostendit : superficies lympha coagulabili obtecta detegitur. Cor et vasa magna variis vitiis inveniuntur, nempe, cor ipsum am-

pliatum, valvulæ in os vel cartilaginem conversæ, nonnunquam vasa aneurismate afficiuntur, ut arcus aortæ. Pulmones structuram morbidam exhibuerunt; interdum ulcera tubercula iis inesse videntur.

Ratio Medendi.

In Ascitis Abdominalis curatione, tria consilia medico sese offerunt; nempe, primo, Causas, si possumus, tollere; secundo, Humorem jam collectum expellere; et, tertio, Præcavere ne æger iterum in malum incidat, vires amissas restituendo. Quoniam hic morbus semper pendet ex aliquo statu morbido, quo, ante humorem collectum, corpus affectum fuit, patet, ut nisi hunc amovere potest, operam incassum navat medicus; et, si hujus inscius sit, plus detrimenti quam boni accipiat æger. Fatendum est tamen, quod sæpissime, etsi causa plane pateat, ars medica nil prodesse, sed potius nocere valeat. Hinc maximi momenti fit, et seriam attentionem postulat, cognoscere, num ex obstructione mechanica, debilitate vel inflammatione, originem trahit; namque prima

omnia medicamenta fere inutilia evadunt, et duæ sequentes tam inter sese differunt, ut remedia omnino dissimilia postulant. In Ascite ex debilitate oriente, diuretica, purgantia et sudorifica administrare, et eodem tempore ægrum tonicis sustinere, debemus; dum in ea ex inflammatione, tonica fortasse nocebunt, et venæsectio, altera fere lethifera, in hac utilissimam se promittit. Hoc loco non mihi in animo est, nam inexperientia et rei difficultas vetant, symptomata accurate proferre quibus hoc remedium usurpari potest; sed plerumque pulsus durior et plenior, respiratio ex initio difficilis, et morbus subito adoriens, e frigore corpori admoto præsertim, detractionem sanguinis postulant. Dr Blackall affirmat statum albuminosum urinæ, actionem arteriarum exhalantium auctam indicare hinc: ait, 'A correct guide to it (nempe, venæsectioni) may be 'found in the firmness, copiousness, and early 'appearance of coagulum in the urine; its limits, 'in the improvement of the discharge, the state 'of the blood, and the relief of the symptoms.' Quin ex auctoritate Doctoris Crampton apparet, hæc signa fide non esse digna, nam plurima exempla in[redacted]t venit, in quibus, calore admoto, urina

non coagulavit, quamvis in eis signa inflammationis plane adfuerint. Sanguis etiam, secundum eundem scriptorem, initio Hydropis tunicam coriaceam; morbo procedente, serum lacteum et crassamentum parvum, ostendit. Venæsectio quoque indicatur, si menstrua vel fluxus hæmorrhoidalis suppressa morbum præierint. Cum ex viscerum obstructionibus, puta scirrhum, morbus processerit, remedia quamplurima adhiberi solent; sed morbo inveterato plerumque sine minimo fructu. Hujusmodi sunt præparata ex hydrargyro, sales medii, et vegetabilia varia.

Remedia quæ ad humorem jam collectum evacuandum usurpantur, sunt omnia quæ secretiones et excretiones augent; veluti sequentia, purgantia, emetica, diaphoretica et diuretica. Purgantia plerumque dividuntur in mitiora et fortiora sive drastica: hæc, non solum fæces sed etiam humorem ex alvo dejiciunt, dum lymphaticorum actionem augent. Multum a pristinis commendantur, qui docent ea majore cum fructu administrari quam mitiora, quæ sæpius nocent quam sanant; maxima tamen circumspectione præscribenda, nam nisi effectum antea dictum cito præstent, ægri vires valde imminuunt, et

non raro intestinorum inflammationem inducunt. Initio morbi, si vires non multum infringantur, magis indicari videntur, et si febris non adsit; hujusmodi sunt Oleum Crotonis, Gambogia, Elaterium, Scammonium, Jalapa, Rhamnus Catharticus; sed hodie rarius administrantur, et mitiora anteferenda sunt, ac tutius usurpantur quam drastica. Hæc sunt, Sales medii, Senna, Tamarindus, et præcipue Supertartras Potassæ; hic namque, eodem tempore quo alvum ducit, fluxum urinæ et secretiones quoque promovet.

Emetica absorbentium vires excitant, ob concussionem systemati illatam, secretiones et excretiones adaugent. Etiam exempla in scriptis medicorum narrantur, quibus vomitus spontaneus morbum cito sustulit: hinc emeticorum utilitas in Ascite indicatur, sed summa prudentia exhibenda, et mitiora esse debent, nam ægrum magnopere debilitant, et si respiratio difficilis adsit, periculosa vel etiam exitialia esse possunt; hinc administrari non debent, si morbus longe processerit, et accumulatio adsit magna. SYDENHAM tamen emetica commendat, et casum narrat quem usu eorum feliciter tractavit. Ubicunque autem tuto usurpantur, præcipua sunt, potentiorum, Tartras

Antimonii, Zinci et Cupri Sulphata; mitiorum, Ipecacuanha, Scilla, Anthemis nobilis, et cætera.

Diaphoretica sæpe utilia sunt, præcipue si signa inflammationis adsint, et post depletionem necessariam; aliquando tamen inefficacia vel etiam nocentia fiunt, quando nempe hominem infirmant. Ad diaphoresin, Tartras Antimonii, Ipecacuanha sola, vel cum Opio conjuncta, parvis dosibus, sufficient; fortasse etiam tepidarium, vel aër calefactus corpori admotus, ut quibusdam placuit, sed hæc magis in Anascarca quam in Ascite prosunt.

Diuretica.—Quum urina parva quantitate plerumque in Hydrope redditur, ea quæ hanc excretionem movent, sæpe bona remedia esse inveniuntur, quando præsertim absorptionem quoque incitant. Dolendum est tamen, hæc effectus admodum incertos dare; et casus non desunt, in quibus prorsum inutilia evaserint; igitur iis parum confidendum. Ex his seligere possumus præparata ex Potassa, Juniperum, Scillam Maritimam, Digitalem purpuream, cum multis aliis, quorum mentionem facere non oportet. Pauca nunc volo de Digitali et Scilla.

Digitalis purpurea, dum ictus arteriarum vim et frequentiam frænat, systematis irritabilitatem sedat, lymphaticorum quoque actionem stimulat, maxime urinæ fluxum auget. Hinc ex auctoritate Doctoris WITHERING, ac postea aliorum, qui de hac re tractaverunt, locum inter diuretica excelsum tenet: non negandum est tamen hanc haud secus ac alia spes medici fefellisse; hinc necessitas species et stadia hydropis discernendi. Ubi hoc remedium administrare prosit, utilissima invenitur post venæsectionem, et si systema laxum sit, et secundum Doctorem BLACKALL, effectus suos salutares fere edit, cum urina, calore admoto, coagulatur vel turbida fit, et sedimentum lateritium deponit, et præcipue feliciter agit in hydrope, post scarlatinam, succedente in quo (ut ipsius verbis utar) 'a sovereign 'remedy' nominatur. Forma pulveris, infusi vel tincturæ, adhibeatur, parvis tamen dosibus et maxima prudentia, nam effectus interdum non ostendit nisi multos post dies, et tunc vehementer eos subito exerit, et etiam mortem repentinam induxisse reperta est. Digitalis hydrargyro plurimum adjuvatur; sæpe conjungitur cum scilla, opio, et purgantibus, ut occasio fit. Dosis mag-

na hujus medicamenti pulsum, admodum debilem, tardum et inordinatum, vertiginem, singultum, vomitum, hypercatharsin, delirium et convulsiones, procreat; ad hæc, stimulantia, ut spiritus ardens, opium, &c. et epispasticum regione ventriculi admotum, optima remedia esse inveniuntur. *Scilla maritima* per longum tempus sibi vindicavit laudes magnas in hydrope, propter potentiam in urina cienda, et ut alii volunt, omnium diureticorum certissimum est. Hæc alvum purgat, et omnes secretiones promovet, vi ejus diuretica multum auxiliari videtur. Conjunctio cum hydrargyro et fere majori usui esse potest in hydrope, ex obstructione pendente. Dosis parva, primo adhiberi debet, et gradatim augeri, nam interdum nauseam excitat, et ventriculi functiones multum impedit, ob quam causam, forma sicca, sicuti pilulæ, cum ullo aromatico, vel extracto gentianæ, optime porrigitur. Omnibus hisce remediis incassum tentatis, et humore tantopere accumulato, ut respiratio maxime impeditur, tunc ad operationem chirurgicam quæ Paracentesis vocatur, confugiendum est; multi tamen medici qui de hac re experientiam habuerunt, operationem commendant priusquam viscera ali-

quid detrimenti acceperint pressura humoris, nam postea majore fructu administrantur medicamenta. Inter educendum humorem syncope vel etiam mors superveniat, propter sanguinis subitam fluxum, pressura sublata, in aortam et vasa magna, unde fit ut cerebrum ab eo deseratur; igitur omnino necesse est alvum cingulo ligare, et postea eodem modo compressionem facere.

Humore feliciter evacuato, proximum est cavere ne æger iterum in malum recurrat, quod non raro accidit, et ob debilitatem quæ semper morbum sequitur. Remedia huic consilio accommodata, sunt omnia quæ tonum corpori reddunt, qualia sunt præparata e ferro, Cinchona officinalis, Gentiana lutea, Cascarilla, Columba, et varia vegetabilia amara et aromatica. Diæta maximam attentionem postulat; facilis concoctu et nutriens esse debet, et vinum generosius, parca tamen manu, et cum aqua mistum, porrigatur. Exercitatio quotidiana in aëre puro et sicco, sed citra fatigationem, musculis dat robur, cibi desiderium et concoctionem efficit, secretiones et excretiones omnes expedit, toti systemati vigorem, et animo hilaritatem conciliat. Hinc nil mirum

quod hæc multum prodesse, et sanationem confirmare promittat.

Frictio etiam simili virtute aliquantum pollet, nam sanguinis reditum per venas accelerat; absorptionem promovet, et cum exercitatio negetur, hæc in ejus locum commode subeat. Denique, quum vires pristinæ magna ex parte restitutæ fuerint, ad curationem stabiliendam balneum frigidum multum confert.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 4.	lin. 2.	*pro*	ruber,	*lege*	rubra,
8.	19.	—	ægri	—	ægre
—	20.	—	effectus	—	affectus
13.	8.	—	lethifer,	—	lethifera,
—	25.	—	innotuit,	—	invenit,
14.	18.	—	hac,	—	hæc,
15.	3.	—	indicare	—	indicari
—	9.	—	hæc	—	hic

quod hæc multum prodesse, et sanationem confirmare promittat.

Frictio etiam simili virtute aliquantum pollet, nam sanguinis reditum per venas accelerat; absorptionem promovet, et cum exercitatio negetur, hæc in ejus locum commode subeat. Denique, quum vires pristinæ magna ex parte restitutæ